



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Jacobi Usserii Armachani Annales Veteris Et Novi Testamenti

Ussher, James

Lutetiæ Parisiorum, 1673

Cap. XI. De annis 215. peregrinationis Israelitarum in Ægypto. Argumenta pro diuturniore eorum mora allata solvuntur: in quibus, de B. Iobi & Iobabi Idumæorum regis temporibus, ac Iosue genealogia ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14425

Tertium exemplum est Hefron & Hamul nepotum Judæ Patriarchæ ex filio Phares : qui cum hoc descensus tempore vix primum annum exegisset ætatis suæ, non possunt filii ejus geniti esse, nisi post viginti circiter annos, nedum ingressi esse Ægyptum cum avo & pravo. Ita Salianus : probationis suæ fundamentum à Geneleos cap. XXXVIII, 1, deducens; ubi *Scripturam aperire docere asserit, Judam accepisse uxorem eodem tempore quo Joseph abductus est in Ægyptum.* Et cum Augustinus quæstione 128: in Genesim, difficultati huic emergenti aliquatenus occurreret, dixisset, fortasse Mosem hic recapitulatione usum; posterius narrasse, quæ ante aliquot annos facta essent; admittendam esse hanc *ἐπινοήσαντος*, ille negat: tum quia Scriptura dixerit id factum *אחרי כן* in tempore ipso (vel illo potius) tum quia, si hoc conjugium venditionem antecessisset, nihil erat causæ, cur non etiam ante venditionem narraretur, ne præcipua Josephi historia inutiliter interrumpere, quod fufius ab Abulensi contra Aben Ezra disputatum esse monet.

Et Aben Ezra quidem, quem multo (sed irritò) conatu Abulensis hic ivit oppugnatum, recapitulationem sive hysterosim, hanc non observavit solum, sed etiam exceptionibus adversus eam à Saliano jam allatis studiose simul occurrit. Causâ enim interfertæ hoc in loco historię reddit istam, ut magis inde elucesceret, quam longe aliter se Iosephus gesserit in negotio heri sui, quam frater ipsius Judas hic se gesserit: locutionem autem istam, *in tempore illo*, eodem modo in Deuteronom. X. 8. usurpari notat; quomodo & ab aliis est observatum, *in die illo*, sine determinata aliqua temporis notatione, sed decies in veteri & novo Testamento esse positum. Hocque ipso in loco, *in tempore illo*, non ad illud, quo in Ægyptum venditus est Iosephus, sed quo ipse Judas in Chananzam cum patre advenit, referendum esse defendimus. Ex nostra vero hypothese, primi paternæ servitutis septennii anno quarto natus Judas, ætatis 18, egisset annum, quo tempore in Chananzam primum est ingressus: sub finem vide licet ætatis, exeunte anno Mundi, juxta nostras rationes 2265. Mox ibi uxore ducta Chananitide, in anni 2266. ætate, *Erem*; in 2667. sub veris exitum; Onanem; & in anno 2668. post veris initium *Selam*, suscipere ex eâ potuisset.

Apparens deinde Jacobo Deus, eandem fecunditatis benedictionem soboli ejus impertit, quam antea Noachi filiis communicaverat, (Genes. X. 1. 7.) dicendo; *Cresce & multiplicare, Gens & cæcus gentium erit ex te*, (cap. XXXV. 11.) Unde, ut tunc apud primos Orbis renovati instauratores (quemadmodum in V. operis hujus capitulo à nobis est ostensum) sic & nunc apud Jacobi posteros, ut statim ab incunte pubertate opera liberis daretur, in usu esse ceptum videatur. Ita sub exitum veris anni 2280. *Eri*, annum ætatis decimum quintum & pubertatis primum ingresso, similiterque sub exitum veris, anni 2281. Onani uxorem Thamarum dare pater potuisset. Mox vero

Onane ob scelus à Deo morte affecto, edixit Judas Thamaræ nurui suæ, ut tantisper videam in domo patris maneret, Donec Sela tertius filius adulesceret. Quo paulo post initium veris anni 2282. pubertatem assecuto, Judas à morte uxoris sese consolaturus, Thimnam, ad tendendam gregem suam, sub ætatis sequentis initium abiit. Ibi Thamaræ, socii mente de filio Selâ ipsi non dando satis perceptâ, sortum se simulans, ex ipso Judâ duorum liberorum mater est affecta. Hac ratione sub finem hœm. anni 2283. gemelli illi Phares & Zara in lucem fuerint editi: annis 15. cum quadrante, prius quam Jacob cum familiâ in Ægyptum descenderet. Ita sub initium anni 15. Pharesi nasci potuit Hefron, sub finem Hamul; vel, si gemelli fuerunt, sub finem ambo; & infantes simul cum patre in Ægyptum ingredi. Quâ in re totâ cum nihil sit quod vel naturæ vel rationi repugnare deprehendatur, æquo lectori relinquimus judicandum, an non hæc potius admittenda fuerit, quam sententia illa altera, quæ Hefronem & Hamulum, licet longe postea in Ægyptum natos, à Mose tamen inter eos qui cum Jacobo descenderunt in Ægyptum, numeratos, fuisse statuit.

CAP. XI.

De annis 215. peregrinationis Israelitarum in Ægypto. Argumenta pro diuturniore eorum morâ allata solvuntur: in quibus, de B. Iobi & Iobabi Idamæorum regis temporibus, ac Iosue genealogia agitur. Anni exodi incerti characteres.

A Professione Abrahami ex Charane, usque ad Jacobi descensum in Ægyptum, annos 215. peregrinationis Hebræorum in terrâ Chanaanis effluxisse Scripturæ testimoniis comprobatum est. Quibus ex integre 430. annorum peregrinationis summa subductis, æqualis 215. annorum relinquatur numerus, Ægyptiacæ ipsorum peregrinationi assignandus. Quo vero tempore in Ægyptum Jacobus descendit, filium ejus Iosephum 39. fuisse annorum est ostensum: quos si à totius vitæ centum & decem annis. (Gen. L. 21.) subtraxeris, supererunt.

<i>A descensu Jacobi in Ægyptum, usque ad mortem Iosephi, anni</i>	71
<i>Inde ad Mosis natiuitatem usque,</i>	64
<i>A natiuitate Mosis ad exitum Israelitarum ex Ægypto, [Exo. VII. 77]</i>	80
<i>Summa, 215.</i>	

Anni 71. & 80. quos ex Scripturâ habemus, simul juncti 151. efficiunt: qui ex 215. totius peregrinationis Ægyptiacæ deducti 64. relinquunt annos, interstitio inter Iosephi obitum & Mosis ortum, tribuendos. Iudæi, quinquennio ante Abrahami professionem ex Charane 430.

annorum

a Salian. ad
ann. Mundi
2229. num.
10.

b Id. ad ann.
Mundi. 2306.
num. 45.

annorum initium collocantes, moræ Ifaelitarum in terra Aegypti 210. tantum annos tribuunt: quos Chaldaica quæ Jonathani tribuit paraphrasis cum Hierosolymitana in Exod. XII. 40. per שבעים ושתיים *triginta sabbata sive hebdomadas annorum* exprimit. Ejus annorum numeri signum in Pirke Eliezer cap. 48. & passim apud Rabbinos est vox 177 *descendite*; qua ad filios usus est Jacobus, Gen. XLIII. 2. posterorum suorum in Aegypto moram, annorum 210. (quot litteræ illæ conficiunt) futuram fuisse innuens; ut notat ad eum locum R. Salomo Jarchi, interpres. Talmudicis nugis plus nimio deditus. In Seder Olam tabbah. cap. 3. Job, patientiæ illud exemplar, natus fuisse dicitur, quum Ifraelitæ descenderunt in Aegyptum, & mortuus quum inde ascenderunt. Et cum post flagella annos illum 140. exegisset, & quicquid ipsi fuerat duplo Deum auxisse, sit scriptum. (Job. 10. 16.) ante hæc annos 70. & in universum, annos 210. (quanta fuerit Ifraelitarum mora in Aegypto) vixisse illum, inde colligitur.

Et quidem in Synopsi Athanasianâ, passum etiam fuisse Job legimus, cum esset annorum 70. quod etiam ex ipso textu Græco, Job XLII. 16. colligitur, ut quidem Romana cum editio nobis exhibet; in quâ Job post plagas annos 170. in universum autem annos 240. vixisse dicitur. Cum quâ exacte quadrat ille calculus Hefychii, vel quicumque author fuit, ineditarum in libros quos Sapientiales vocant Hypothesium; *αὐτὸς ἰσχυροτέρως, ἀμείλιχός τε καὶ ἀκατακτάτος, ὡς ἴσως καὶ τὸν αὐτὸν ἀνὴρ ἔστω. Πάσις αὐτὸν ἔστω, ὡς ἴσως καὶ τὸν αὐτὸν ἀνὴρ ἔστω. Πάσις αὐτὸν ἔστω, ὡς ἴσως καὶ τὸν αὐτὸν ἀνὴρ ἔστω.* Passus autem est Job, quum esset annorum 70. supervixit vero post plagas, annos 170. ita ut fuerint omnes vitæ ipsius anni 240. quamquam & hujus textus duæ aliæ reperiantur lectiones: rarior una, in B. Hieronymi ex Originicâ editione versione. *Vixit autem Job post plagam centum quadraginta annis: --- & omnes anni vitæ ejus fuerunt 248.* Cum quâ consentit & Græca editio Complutensis (in Bibliis polyglottis, tum Antuerpianis tum Parisiensibus, retenta:) priore membro tum in Hebræo inveniebatur expresso; altero, (quod in eo non erat & idcirco præfixo obelo ab Origene notabatur,) penitus prætermisso. Altera vero, communis & ab omnibus maxime recepta lectio, non in Aldinâ solum editione, & Germanicis omnibus, sed etiam in antiquissimo Alexandrino (quem in Angliâ habemus) codice, reperitur. *Vixit vero Job post plagam annos 170. omnes annos vixit 248.* Anni 170. ex 248. deducti relinquunt 78. quod Jobum, quum primum pateretur, egisse ait author commentariorum in Job, quos Origeni perperam adscriptos Latine vertit Perionius. Annorum 170. (quos post passionem Job vixisse dicitur) pars dimidiata est 85. Cum igitur Jobo post tentationem duplicia reddita fuisse referantur omnia, (in quibus & anni fuerint numerandi) 85. eum fuisse annorum quum certamina finiit, usque ad 170. quod postea vixit additis, universæ vitæ annorum summam 255. extitisse, Olympiodorus (vel quis alius in Catena ad Job. XLII. 16.)

colligit. Quod autem in textu, vitæ illius anni 248. tantum commemorantur, eo septem passionis ipsius annos mylticè innui asserit; quos in vitæ annis non recensitos arbitratur ille, *ὅτι τὸ πλὴν ἐστὶν ἡ ἀπόδειξις τῆς ἐπιπέρας, quod ærumnosa vita mors esset potius quam vita existimanda.* Neque alia fuit *septennii*, Jobi calamitatibus tum temere assignari soliti, aut origo, aut ratio. De quo vide, (si placet) Salianum in anno Mundi 2398. num. 1. & 2544. num. 751. 752. ubi in priore loco, nota obiter; non (ut ille opinatur) apud Origenem Perionii 70. pro 78. sed apud Cyrillum Anastasii, num. 78. pro 70. esse reponendum.

Ut igitur de ætate Jobi certius aliquid statuat, primo ante exitum Ifraelitarum ex Aegypto, (ex ætate Eliphazi Themanitæ sodalis eius) ostendendum est, non eorum in Aegyptum ingressu, & consequente ipsius Aegyptiacæ peregrinationis tempore, certaminum Jobi historiam contigisse, manifestum esse docet Chrysostomus, *ἀπὸ τῆς ἀναπαύσεως τῶν Ἰσραηλῆων, ὡς ἔστω τὸ διακείμενόν τῶν Ἰσραηλῆων ἀπὸ τῆς ἐξόδου, ὡς ἴσως καὶ τὸν αὐτὸν ἀνὴρ ἔστω. Ex eo quod longævam vitam vixerit, & supra ducentesimum annum prorogaverit. Post legem enim quæ tandem vixerit, de nullo memoria est proditum. Ætate hominum ordinaria, ad 70. vel 80. annos redacta: quemadmodum in Psalmo XC. 10. ipse Moses confirmat. Addunt alii, historiam hanc accidisse, antequam insignia Dei miracula, quæ in Exodo scripta sunt, Ifraelitis exhiberentur & passim celebrarentur: quia alias hæc intra cætera Dei opera, quæ in Jobi libro prædicantur, etiam recenserentur. Præsertim autem Deus ipse nequaquam capite quidem 38. maris 40. autem Jordanis ita mentionem faceret, tantquam inauditum fuerit quod homines super eorum fundo ambulassent. Et quoniam Dominus cap. 29. inquit ad Jobum; *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagientes, eo quod non habeant cibos?* Haud dubie interrogasset, quis Ifraelitis quadraginta annos victus præbuit in deserto: nisi historia Job vetustior esset actis Exodi. Neque illa hic usquam legis, nisi per manus traditæ, mentio: & quæcunque hic veterum historiarum attinguntur, antiquorum sunt temporum. Ex eo quoque hoc eliciunt, quod post latam legem nemini licuit alibi, quam coram arcâ vel tabernaculo Dei sacrificare, sine mandato singulari: ideoque Job, aut non fecisset contra præscriptum Legis sacrificans, (c. I. & XLII.) aut scriptura non commendasset illius sacrificia, si venisset contra legem.*

Porro frater Jacobi Esau, quum esset 40. annorum, uxorem duxit Basmatham, sive Adam filiam Elonis Hittæi, atque ex eâ suscepit Eliphazum, patrem Themanis, (Genes. XXVI. 34. & XXXVI. 2. 4. 11.) à quo Eliphaz Themanites, qui cum Jobo est collocutus, duxit originem. Subductis annis 40. Esavi sive Jacobi (gemelli enim fuerant) ab 130. quot Jacobus agebat, quando cum familia suâ in Aegyptum est profectus; (Genes. XLVII. 9.) restant 90. inter primas Esavi nuptias & Ifraelitarum

4 Codem. Chron. lib. 4. cap. 35.

6 Tremell. & Jun. in Job. 1. 1.

1. V. J. Chronol.

h ij descensum



deicentium in Aegyptum, interpositi. Unde colligere licet, Elphazum Themanitem (à Themanè, Esavi ex filio primogenito Eliphazo nepote oriundum) eodem vixisse tempore quo in Aegyptio peregrinati sunt Hebræi: maximeque esse probabile. Jobi (æqualis ipsius) historiam post Josephi mortem (tempore inter Genesin, & Exodum interjecto) contigisse; quando ipsius Israelitis ad Aegyptiorum idolorum cultum deficientibus (Josu. XXIV. 14. Ezechiel. XX. 8.) de universa terrâ peragrata & sibi subdita, Satanæ gloriandi data est occasio (Job. I. 7. II. 11.) Ipso vero ingressus Israelitarum anno, natum fuisse Jobum, & egressus denatum, Judaicum commentum est.

Hæc de ætate Jobi quæstio, ex eo diligentius à nobis tractata; quia ex ea ^a Nicolaus Abramus moram Israelitarum in Aegyptio neque 210. neque 215. sed 430. fuisse annorum probare nititur: sed hoc satis debili substrato fundamento; quod *Iob* idem fuerit cum *Iobab* Zará filio secundo Idumæorum rege, cujus meminit Moses in Genes. XXXVI. 33. ubi & Zaram hunc, ex Idumæorum Ducibus unum, filium facit Rehuelis, filii Esavi & Basemathæ, sororis Nabajoth, & filia Ismaelis (comm. 3. 10. 17.) Hanc vero Nabajoth (Nabathæorum patris) sororem Ismaelis filiam, Basematham & Mahalaham dictam, Esavum eo tempore uxorem duxisse idem refert, quo frater Jacobus, accepta patris benedictione, ex Chananæâ in Mesopotamiam est profectus: (cap. XXVIII. 6. 9.) à quo, usque ad Jacobi & familiæ ipsius descensum in Aegyptum, annos decurrisse, 33. ostendimus. Unde, & sub id tempus, Jobabum natum fuisse Nicolaus colligit: quod vix ante annum ab inito matrimonio quinquagesimum, ad pronepotes soleat, ac generationem tertiam perveniri. Considerandumque postea nobis ille proponit; quomodo sex post Jobabum Idumææ Reges, alios aliis morte sublatis successores, Moses numeraverit; eo præsertim ævo, quo mortales vitam diutius propagabant & post hanc Regum seriem Duces undecim recensuerit; quos ex I. Paralip. I. 51. satis constat non sub Regibus, sed post eos Reipublicæ gubernacula tenuisse.

At certe anni 215. commorationis Israelitarum in Aegyptio, & 40. fere in deserto, tempus suppeditabunt satis amplum, quod & octo illis Regibus, qui regnaverunt in Idumæa, antequam haberent Regem filii Israël. (Genes. XXXVI. 31.) id est, (ut exponit doctissimus Grotius) priusquam Israelis posterii terram Chananæam ac vicinas sunt adepti, ante quod tempus regem ipsis facere non licuit; (Deuterom. XVII. 14.) & undecim etiam Ducibus recipiendis suffecerit: si modo duo ista admittamus; quibus non admissis, ne 430. quidem anni habitationi Israelitarum in Aegyptio attributi, illis capiendis essent suffecturi. I. Cum Reges istos ex diversis fuisse civitatibus Moses memoret; non jure hereditario regnum eos obtinuisse, (ex quo contingere poterat, ut adolescens regnum adeptus, in longævâ illâ hominum vita, ad centum annos illo potiretur) sed vel populi

suffragiis, vel vi armorum (uti Esavo à patre Isaac fuerat prædictum. Genes. XXVII. 42. *Gladio tuo vivet*) ad Regium fastigium fuisse electos; at jam ætate seniores, & usu rerum instructi eo pervenientes, non ita diuturnum in imperio tēpus necessario exegerint. II. Eos qui sub Regibus, singularium provinciarum duces extiterunt, sed supremo illo imperio subditi, sublatis postea Regibus iisdem provinciis liberam & æqualem potestatem obtinuisse: ita ut undecim illi à Mose memorati Duces, non (ut in Regibus factum) alii aliis ordine successerint, sed simul omnes & eodem tempore provinciarum suarum administrationem obtinisse. Atque hinc Moses, quum in ipso ex Aegypto exitu, *Ducem* Idumææ in Cantico suo meminisset; (Ex. XV. 17.) post annos tamen 39. sub *Regio* adhuc imperio Idumæam fuisse indicat. (Num. XX. 14. Iud. XV. 17.) ex quo ulterius colligimus 1. Regem illum, qui Israelitis transfugum per terram suam denegavit, fuisse *Hadarum*, postremum Idumæorum regum à Mose memoratorum. 2. Idumæorum erga fratres suos Israelitas inhumanitatem hanc cito Deum fuisse ultum: eodem anno & Rege per mortem, & ipso regno per politia mutationem sublato. 3. Mosem, anno 40. post exitum ex Aegypto, librum Geneleos vel scribentem vel saltem interpolantem, undecim illorum Ducum ex stirpe Esavi ortorum, qui Regibus in summo imperio successerunt, nomina recensuisse, *secundum familias suas. & secundum habitationes in terra possessionis sue.* (Genes. XXXVI. 40. 23.) utpote diversis provinciis in eadem Idumææ regione, eodem tempore, uti dictum est) præfectorum.

Sed hypotheticè hic disputat Nicolaus Abramus. Si Iobabus Idumæorum rex idem fuerit cum B Iobo, quem post tentationes suas 140. annos vixisse Scriptura testatur; intra angustias 215. annorum, morè Israelitarum in Aegypto & 40. in deserto, non posse contineri quatuor illorum regum tempora, quos Iobabo in regno, ut & illis alios in Ducatu, antequam à Mose liber Geneleos, conscriberetur, successisse apparet. Quæ consequentia vera si fuerit: non diuturniorem, quàm 215. annorum Israelitarum in Aegypto fuisse moram, inde probabitur. Sed falsitas illius hypotheseos, quæ Iobum eundem facit & Iobabum, inde convincitur, quod duo illa argumenta, quibus hypotheseos hujus patroni veritatem eius ostendere sunt conati, alterum à nominum Iobi & Iobabi similitudine, alterum ab autoritate *appendicula* (ut loquitur Abramus) quam LXX. *Seniores libro Iob velut laciniam attexuerunt*, petitum, jam dudum à Nicolao Lyrano sunt soluta; ad cap. I. Iobi, ita Scribente. *Nec motivum aliorum valet, de similitudine nominis Iob & Iobab quia frequenter contingit duos homines valde diversos non modo simili, verum etiam prorsus eodem appellari nomine. Supponitur etiam falsum, quod prædicta nomina sint valde similia: cum secundum scripturam Hebraicam, sint multum dissimilia. Hoc enim nomen Iob, in Hebreo incipit per Aleph (א) nomen vero*

Jobab per iob (227) Deinde, de laciniâ illâ respondet, quæ in Bibliis Græcis ad finem libri est adjecta, & cuius pars in Latinis (ex Iobo, ab Hieronymo è Græcâ linguâ translato, desumpta) in libri initio, Argumenti loco, inter Hieronymi Prologos poni solebat. Similiter additio qua allegata est non valet: quia sicut dicit Hieronymus in libro de Hebraicis Questionibus, non est in Hebræo, & ideo non est ei adhaerendum secundum ipsum; dato quod inveniat in aliquando in fine libri Iob. Et ex hoc patet, quod si ponatur in fine Prologi Hieronymi, non est hoc de intentione suâ, sed hæc additio & consimiles, ab aliquibus minus expertis in historiis & genealogiis Hebræorum, apposita sunt: propter quod de ipsis non est curandum.

Et certe appendiculam hanc esse apocrypham, in libro 1. de Verbo Dei cap. 20. Cardinalis Bellarminus confirmat. Cui frustra auctoritatem ex eo conciliare nititur Abramus; quod LXX. qua ad calcem libri Iob addiderunt, se non suapte fluxisse ingenio, sed de codicibus Syriacis (unde quidam ab ipso Mose librum Iob in Hebraicam linguam translatum putant) deprompsisse testentur. Quasi verba illa in calcem libri, Omnis interpretatio de iob Syriacis scripta, Hic interpretatus est ex Syriaco libro, ad sequentem appendiculam referenda essent, & non ad librum ipsum; qui præcellerat: & quasi res esset extra omnem posita plane controversiam, Syriacum hic sermonem distinctum fuisse ab Hebraico; in Græcâ Carena contrarium observandum inveniamus. Συριακὸν γὰρ τὸ ἐπιπέλαρον (vel ἐπιπέλαρον) διακρίνον ἑστὶν ἀπὸ τοῦ ἱερουζαλεμικοῦ τῶν πατρῴων, (al. τῶν διακρίτων τῶν Συριακῶν ἐπιπέλαρον) ἐπιπέλαρον ἐστὶν ἡ γέννησις τοῦ ἐβραίου, ἢ Συριακοῦ ἢ τῶν ἱερουζαλεμικῶν, ἢ Συριακοῦ ἢ παλαιστίνου ὁμιλουμένου. Hebraicam dialectum hoc loco Syriacam vocat: quia Syrorum lingua proximè ad eam accedit, & viginti duabus litteris Hebraicæ & Syriacæ pariter utuntur; Iudæam etiam Syriam, & Palaestinos plerique Syros appellant. Hæc Olympiodorus, vel quicumque alius in Catenâ illâ: cum quo & author Commentariorum in Job consentit, quos falso Origenis nomine Latine à se conversos edidit Perionius.

Pro nobis vero faciunt Hebræi, tum antiqui, (apud Hieronymum, in Epist. 126. ad Evagrium, & Traditionibus Hebraicis in Genes. cap. 36.) tum posteriores omnes, Isaacide (quomodo R. Salomonem Jarchi, ab Isaac uno è maioribus, fuisse cognominatum, à Judæis se didicisse refert Scaliger) uno excepto: de quo Aben Ezra, ad Genes. capite 36. יצחק ויבן את יצחק. Etiam Jobab filius Zerach, non est Iob, quemadmodum dixit Isaacides, vane seu fatue agens. Pro nobis quoque ex Latinis facit Hieronymus, in Questionibus sive Traditionibus in Genes. cap. 22. & post eum Philippus Presbyter, atque Beda (falso creditus Hieronymus) libri Iobi interpretes; cum Ruperto Tuitiensi (Historiæ Scholasticæ authore) cap. 5. super librum Genes. & recentioribus aliis. Neque enim audiendus hic vel Petavius, & satis ex-

ploratum esse obijciens, qua in Traditionibus Hebraicis ab Hieronymo memoria prodita sunt, magis ex Hebræorum mente, quam ex sententia sui plerumque proferri; vel Abramus, alios sola Hieronymi auctoritate permotos, hanc sententiam esse amplexos affirmans. Ex propria enim sententia locutum hic fuisse Hieronymum, verba hæc ipsius clarissime ostendunt. Male igitur quidam astimant Job de genere esse Esau, siquidem illud quod in fine libri ipsius habetur, eo quod de Syro Sermone translatus est, & quartus sit ab Esau, & reliqua que ibi continentur, in Hebræis voluminibus non habentur. Alios autem ut in eandem concederent sententiam, non tam auctoritas Hieronymi, quam ratio ab ipso allata, permovet; quod Appendix illa, cujus præsumpta auctoritate Veteres in errorem sunt inducti, in Hebræis voluminibus non haberetur, & Canonicam consequenter auctoritatem haudquam obtineret.

Quæ eadem ratio & Græcorum quosdam permovet, ut eam Appendicem rejicerent: de quibus ita Polychronius. Ἡ Πραγματευομένη τῶν ἐπιπέλαρον ἡμετέρας; ὡς καὶ ἐπιπέλαρον ἐστὶν ἐβραϊκὸν, τοῦδε τῆς αὐτῆς ἀρχῆς. Καὶ ἐπιπέλαρον τὸν ἰσραηλῆσιν ἢ πλείους ἑβραίων. ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ἐβραίου, ἡμετέρας ἀπὸ τῆς ὁμιλουμένης τῆς ἐν Γαλιλαίᾳ ἐβραϊκῆς ἐστὶν τῶν ἐπιπέλαρον ἡμετέρας; ἐν δὲ μίμησιν τοῦ ἰσραηλῆσιν, τὸ τοῦτον πῶς ἐσχηματισμένον ἢ λατὸν ἐστὶν τῶν ἰσραηλῆσιν ὡς ὄψον. Καὶ τὸ βιβλίον ἐβραϊκὸν τῶν πραγματευομένων. Genealogiam qua in fine est rejiciunt, quia in Hebræo non reperitur: & liber is verbis clauditur. Et mortuus est Jacob senior & plenus dierum: nominis autem similitudinem in Genealogiâ Esau, qua in libro Genesios exciatur, ubi Jobab mentio fit, ansam erroris & huiusmodi scholii quibusdam præbuisse; tractuque temporis postea, qua margini adscripta erant, in libri textum ab aliis assumpta esse asserunt. Et Olympiodorus, in Protheoria capit. 33. & ultimi libri Job; ut quidem Græci capita distinguunt. Ὅμοιοι μὲν τῆς καὶ εἰς τὸν ἐβραϊκὸν γένους, ἀλλὰ ἀπερρηχάσθαι τὸ βιβλίον τὸ ἰσραηλῆσιν ἢ ἐν πασὶν τοῖς βιβλίοις ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐβραϊκῆς πραγματευομένης τῶν βιβλίων, πάντα τὰ ἐβραϊκὰ ἢ τὰ ἰσραηλῆσιν ὡς ποσὶν τῶν πατρῴων παραλοισάτω. Quæ in fine libri, dicunt quidem nonnulli non esse sacra hujus Scripture, sed libro huic affuta & adscripta esse verba. Nos vero cum omnibus Græcis exemplaribus librum scriptum invenimus, ita omnia qua eo scripta sunt recipimus, prout à patribus nobis tradita sunt.

Argumentum, quod à rebus gestis Assyriorum deducit Nicolaus Abramus, nos omnino non ferit. Neque enim contra nos probat, longius quàm 215. annorum spatium Ægyptiacæ Israelitarum peregrinationi esse tribuendum, sed Amraphelem tantum, Sennaaris sive Babylonis regem, longe ante Nini tempora, ab Abrahamo Patriarcha profligatum fuisse demonstrat: quod nos libentissime concedimus. In Assyriorum enim imperii duratione Herodoti rationes Ctesianis & Eusebianis præferentes (quas & jure præferendas, in libro 6. quem Nearchum, sive de reano Assyriorum

4 Prohem. Caten Græc. in Job.

Abram. ut super cap. 9.

4 Caten. in Job per Pat. Iulianum pag. 612.

4 Scalig. Caten. in Job pag. 612. part. 2. cap. 1.

4 Petav. doctrin. temp. lib. 9. c. 20.



inscripsit, ipse agnoscit Nicolaus (Abrahami illam victoriam 645. annis ante Nini exordium, in Annalibus nostris collocavimus: ut ad hoc efficiendum, Israelitarum in Aegypto commorationem, ad annos 430. extendere, nihil nobis fuerit necesse.

Id. ibid.
cap. 14.

At posse (putat Nicolaus) ex annis Caath demonstrari, moram filiorum Israel in Aegypto fuisse plus quam 215. annorum.

Sed quomodo hoc ille demonstrat, videamus. Cum fuerint anni Caath centum triginta tres, ut Exodi VI. 18. dicitur: quamvis eum jam puberem facimus, cum Aegyptum ingressus est, necesse tamen est, ut in Aegypto annos centum viginti prater propter exegerit: qui si 80. Mosis nris (cap. VII. 7.) accedant: ducentorum annorum summam colligent. Aut igitur Israelita plusquam 215. annis in Aegypto manserunt, aut quindecim dumtaxat annorum spatium inter Caathi mortem & Mosis exortum interfuit. Hoc autem posterius dici non posse, liquet ex iis que cum inter illius obitum & huius ortum gesta narrentur, haudquaquam tamen, tam angusta temporis intercapedine, claudi poterunt. Atque inter hec, Israelitarum multiplicationem & oppressionem, simul cum Amrami & Jocabedæ matrimonio reponit: & ex eo quod Mosis infantuli soror מרים vocetur, (c. II. 8.) adolescentulam & nubilem eam fuisse colligit; indeque Amrami & Jocabedæ nuptias, multis licet annis ab obitu Caathi, non paucis tamen ante Mosis exortum, fuisse contractas concludit, & audiendos non esse qui moram Israelitarum in Aegypto 215. annorum angustiis circumscribunt.

Nos vero eam de Caathi in Aegyptum descendens primâ pubertate hypothesin, quam pro libertate sua videri ille vult ultro nobis esse largitus, minime recipimus. Cum enim iuxta rationes nostras, inter nativitatem Levi patris Cahathi & migrationem in Aegyptum, anni 50. intercesserint, (ut in Annalibus videre licet:) quid obstat, quo minus Cahathus in Aegyptum descendens non modo pubertatis, sed etiam virilis ætatis annos attigisse posset putari: ita ut 30. annorum eo ingressus 103. annos ibi exegerit, & 32. ante natum Mosem annis vitam finierit. Nam potuisse hoc fieri, satis fuerit nobis ostendere, qui respondentium hic partes sustinemus; factum non fuisse, nisi certo aliquo indicio demonstrator noster ostenderit, in quindecim illorum angustias impellere nos non poterit; quibus sublatis, simul & totam argumentationis illius vim concidere necesse est.

Certe que in sacrâ Historiâ, de servitute & afflictione Israelitarum ante Mosis nativitatem, referuntur, intra 32. annorum spatium potuisse peragi, mihi non est dubium. Multiplicationem vero populi Israelitici, vivente adhuc Cahatho, conspicuam & maxime potuisse esse observabilem, res ipsa monstrat. Nam Amrami & Jocabedæ nuptias, post Pharaonis de submergendis Hebræorum infantibus edictum fuisse initas, non aliunde habetur quam ex duobus illis verbulis, Post hæc, Exodi II. 1. in

editione vulgatâ Latinâ additis: que in textu Hebraico, Græco, Chaldaico, Syriaco, Persico, & Arabico, nusquam apparent. Quin & ipsam multiplicationem Israelitarum tam observabilem, eamque inscutam servitutem eorum & afflictionem durissimam, Cahathi morte fuisse posteriorem, non aliunde quam ex eadem Latina versione loci, Exod. I. 6. colligitur. Quo (Josepho) mortuo, & universis fratribus ejus, omnique cognatione illâ, filii Israel creverunt, &c. quum in textu originali Hebraico, pro cognatione, legatur ורר quæ vox non sanguinis propinquitatem, sed generationem hic denotat, id est hominum, (Aegyptiorum præsertim) universitatem qui Josepho & fratribus ejus ætate æquales existerent. Ita etas & progenies in Horatianis illis sumitur:

Etas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosorem.

Et generatio, in Psal. LXXVIII. 3. 4. Quæ patres nostri narraverunt nobis, non celabimus filios eorum, generationem alteram: Et commate 5. 6. Mandavit patribus nostris, nota ea facere filiis suis ut cognoscant generatio altera, filii nasciuri; exurgentesque enarrent filiis suis: ubi, quum filii alteram constituent generationem; ad paternam non magis hic referendus fuerit Cahathus, quam soror ejus Jocabeda, Levi ipsius (ut in capite VIII. ex Numer. XXVI. 59. est ostensum) quam persecutione maxime serviente Mosem perpetuè constat. Unde & Hebræi in Seder Olam cap. 3. non à Caathi obitu servitutis Aegyptiæ tempus deducunt, sed à morte patris ejus Levi: à quâ nativitatem Mosis annos 48. in Annalibus nostris numeratos invenies; spatium iis omnibus quæ ad hanc historiæ partem pertinent capiendis sufficientissimum.

A Latinæ quoque editionis autoritate potissimum dependet argumentum illud alterum à Nicolao ex Josue genealogiâ deductum: que in eâ. I. Chronicor. VII. 25. hunc in modum habetur propofita, Porro filius ejus Rappa, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadan. Hujus quoque filius Aminad, qui genuit Elisama; de quo ortus est Nun, qui filium habuit Iosue. Cui nos integrum posterorum Ephraimi catalogum subjiciemus, prout in textu Hebræo legitur.

Ephraim.

Shubelab,	Beriab.	Sheerab filia.	Rephab
Bered	כר		Reeph.
Tabath	כר		Tela
Eladab	כר		Thaan
Tabath	כר		Laadan
Zabad	כר		Aminad
Shubelab	כר		Elisama
Ezer.			Nun
Elead.			Iosua

His, qui in prima serie sunt nominati, à viris Gath interfectis, Ephraimo natum fuisse Beriam, ex sacrâ quum Nicolaus confirmasset

historia:

historiâ; de cladis hujus tempore, quod in Scriptura reticetur, subjicit. Quo sane tempore, ut res ipsa docet, annus ab ingressu Jacobi in Ægyptum, saltem septuagesimus quartus effluerat, supererantque ad Exodum 140. duntaxat anni; si 215. tantum annis filios Israel in Ægypto versatos esse statuamus. Deinde, ut confessum sumens, tres primos in ultima serie nominatos, Berie fuisse filios, Josuam octavam ab Ephraim, septimam à Beria fuisse colligit. Tum ex Josu. XXIV. 29. Josuam annos 110. vixisse addit: quum post Mosi obitum reipublicam administrasset annis 10. ut placet Melchiori-Cano & Cajetano, aut 14. ut putat Pererius, aut 17 ut Beda & alii tradiderunt. Juxta quam postremam sententiam, cum ex Ægypto egressus est, Josua annorum fuisse 53. quos 53, inquit Nicolaus, si ab 140. deduxeris, invenies inter Beria & Josua exorum 87. duntaxat annos interesse, quæ præcoci quâdam fecunditate septem aut octo generationibus tribuantur, ut singuli Josua majores, liberos duodecim circiter ætatis anno, susceperint; undecimo generant. Quæ si merito displiceant; certe præstabat tempus mansionis in Ægypto producere, quam tot generationum capita, tam arctis temporum limitibus cohibere. Ita ille.

Nos vero dicimus Hebraicum 77 quod toties in hac genealogia occurrit, tum filium ejus, tum filium ejusdem denotare: & priore modo sub finem, posteriore in principio & medio genealogiæ accipi. In prima enim serie articulum non ad præcedentem personam, sed ad primum stirpis authorem, ipsum Ephraimum esse referendum; neque Nicolaus negat; & si negaret, eandem vel etiam majorem fecunditatis præcocitatem hic agnoscere cogeretur, quam in nostra sententia tantopere improbat. Nam cum Josephus ex filii sui Ephraimi progenie, tres tantum generationes vidisset; (Gen. L. 23.) ipse Ephraimus hac ratione vifurus fuisset decem, & quidem novem ex iis aptas armis ferendis quod nisi prole ante annum 12. suscepta, ægrè credere possumus contigisse. In ultimo quoque serie, ubi Repha dicitur 77 filium ejusdem; Ephraimum scilicet, similiter accipiendum esse contendimus: tum quia nomen proximè antecedens erat fœminæ, quum si affixum respexisset, 77 dicendum fuisset, non 77, tum quia Taban tertius in eadem serie nominatus, inter immediatos Ephraimi filios à Mose recensetur (Numer. XXVI. 35.) Tantumque abest, ut cum Nicolao filium Berie Rephiam constituamus, ut & Rephiam & Tahanem, ante ipsum Beriam in Lucem fuisse editos, existimemus. Neque enim primos illos, à Scriptore sacro idcirco primo in loco nominatos fuisse putandum est, quod reliquis seniores extitissent, sed quod communem ab hominibus Gathi cladem pertulerint, per eam patri Ephraimo nomen Berie proximo filio imponendi occasione dederint: quod in afflictione ille fuisset propter familiam suam. (I. Chronic. VII. 21.)

Quod si Tabani non in prima, sed in tertia post Ephraimum generatione (quam & Joseph, Gen. L. 23. vidisse dicitur) sedem assignare cui-

quam magis placeat: ne sic quidem ad Chronologicas nostras rationes aliquod accederet detrimentum. Si enim Ephraimum, annis 22. post descensum Jacobi in Ægyptum, Tabanis avum procreavisse, & Josuam annos 53. natum, ex Ægypto excessisse, admiserimus; & Septem (inter Ephraimum & Josuam interpositam) generationum parenti cuique annos gratis viginti, quum filium suum susciperet, simul tribuerimus: tota summa 215. annorum numerum non est excessura. Ut ad præcociam illam fecunditatem restringi hic nos non fuerit necesse, quam Nicolaus sibi fingit. Quem interim meminisse oportuerat, in hac eadem Ephraimi genealogia, filii ipsius Sheeræ mentionem fuisse factam, quæ Beth-horon inferiorem & superiorem ædificavit; (I. Chronic. VII. 24.) ideoque post 7. annum Josuæ, quo terra Chanana Israelitis est divisa, superstes fuerit. Eam, etsi 130. patris anno genitam fuisse dicamus, plures tamen quam 140. ut ipsa vivendo exegerit necesse est; moræ Israelitarum in Ægypto 215. tantum annis assignatis; quod & si mirum, incredibile tamen non est habendum. Sed ut plures illam quam 355. vel saltem 333. annos vixisse credamus, quod Nicolai postulat hypothesis; nescio qui stomachus possit concoquere.

Superest adhuc argumentum, à multiplicatione filiorum Israel in Ægypto petatum: quod siue miraculo, quod sane fingere necesse non est, vix potuerint in tantam multitudinem excrescere, ut cum in ingressu septuaginta capita censa fuerint, ducentis post annis armatorum sexcenta millia numerarent. Ita Nicolaus; paulo diffidentius: cum ante eum Stapletonus multo confidentius: fieri non potuisse absque ingenti miraculo, ut 210. ann. spatio 72. homines, qui in Ægyptum descenderunt, sic multiplicarentur, ut ex illis sexcenta millia hominum armatorum (præter innumerabilem aliorum multitudinem) invenirentur quum Ægyptum exirent. Quod B. Augustino tamen mirum non est visum, quaestione 47. in Exodum, hac de re scribenti. His annis quantum multiplicari potuerint Hebraei, si fecunditas hominis consideretur, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperietur non esse mirum, quod & sexcentis millibus peditum egressus est populus ex Ægypto: excepto cætero apparatu, ubi & servitia erant & sexus mulieris, & imbellis ætas. His vero additis, ad 1800000. vel 2000000. numerum excrescere potuisse censet Bonfretius quod ille tamen adeo non miratur; ut potius sibi mirum videri dixerit, quod non plures extiterint. Hoc vero ut ostendat, ex descenditibus in Ægyptum non 70. sed 50. tantum sumens, ipsorumque & posterorum unicuique tres liberos masculos duntaxat assignans; masculos 150. ortiri potuisse colligit, ex secundo 450. ex tertio 1350. ex quarto, 4050. ex quinto 12150. ex sexto 36450. ex septimo 109350. ex octavo 328050. ex nono 984150. in ultimo 2952450. qui numerus, masculotum duntaxat, fere tertiâ parte superat numerum 2000000. supra assignatum, masculos simul & fœminas comprehendentem.

4 Abram. ut
supr. e. 18.
6 Stapleton
antidor. in
Act. 7. 6.

8 Exod. 12-
57.

4 Bonfret. in
Exod. 1. 12.

Sed

Sed non satis ille consideravit, decem hunc vicenariorum ab eo positum calculum consistere non posse, nisi intra quemque vicenarium tres suos filios, cum pari saltem filiarum (suo tempore maritis conjungendarum) numero fuisse progenitos, concesserimus: quod neque admitti oportet, nec ipsius Bonfrerii hypothese est consentaneum, quâ *etatem generationi idoneam, eam quæ viginti annorum est, constituere voluisse*, hic se docet. A qua ætate si generandi initium deduxisset, septem potius tricenariorum, quam decem vicenariorum annorum ordines, hic ab eo fuissent reponendi. Et in tot quidem tricenarios, Israelitarum in Ægypto moræ annos 270. *Torniellus distribuit: verum unoquoque tricenario septem masculos totidemque feminas susceptas fuisse statuens, eorum aliquos, ante annum ætatis parentum viciesimum, in lucem fuisse editos, admittere & ipse cogitur.

Id autem si evitare libeat, Bonfrerii hypothese ex Johanne Temporatio (quem ille ducem potissimum hic est secutus) aliquantulum correctâ, supponere liceat; ex descendens in Ægyptum 50. viros, annis 20. natu majores, primi post descensum decennii annis singulis, liberos singulos procreavisse, eorumque continuo ordine posteros masculos, exacto ætatis viciesimo, intra proximum quodque decennium, totidem liberorum patres extitisse: neque 3. cum Bonfrerio, neque 7. cum Torniello, sed medium inter utrumque 5. marium numerum cuique tribuente: hac ratione in primis illis 50. procedere poterunt, annis post descensum in Ægyptum.

X. masculi.	250.
XL.	1250.
LXX.	6250.
C.	31250.
CXXX.	156250.
CLX.	781250.
CXC.	3906250.

Ab anno CXC. usque ad annum CCXV. quo ex Ægypto est migratum, anni intercesserunt 25. Ex quo apparet absque ullo miraculo, mares eo tempore ex genere Israelitico, ab anno 25. & sic deinceps, usque ad 34. natos, numero 3906250. & simul additis tribus postremis progressionis hujus ordinibus, mares 4843750. simul viventes existere potuisse: quum tamen ex Ægypto egressi circiter 600000. (Exodi XII. 37.) vel 603550. ab anno ætatis vicenario tantum numerentur; (Exod. XXXVIII. 26. & Numer. I. 46.) præter Levitas, quorum mares, (ab ætate usque menstrua recensiti) numerum 22000. confecerunt (Numer. III. 39.)

Quod si quis objiciat. Genes. XLVI. 26. omnes animas quæ cum Jacobo descenderunt in Ægyptum numero fuisse 66. præter filiarum Jacobi uxores; indeque colligat, descensus illius tempore, solos Jacobi filios uxores habuisse, ideoque à nepotibus ejusdem intra proximum decennium, liberos decem (quod à nobis est positum) suscipi non potuisse: scire illum oportet, usitato scripturarum more filiorum nomine comprehendi & nepotes. Cumque

hic & Pharesi filii Judæ; & Beræ filii Asheris liberi, inter 66. illos habeantur connumerati, non omnes Jacobi nepotes cælibes in Ægyptum descendisse, satis apparet. Quamquam etiam, si decem tantum ipsius Jacobi filios, (prætermittis Levi & Josepho) proximo decennio, eorumque deinceps posteros in sequentibus sex annorum tricenariis, quinque masculos totidemque fœmellas, juxta præcedentem hypothesein, sigillatim procreavisse admiserimus: juxta eam quoque rationem, tempore egressionis marium major exurgeret numerus, quam ille superior à Mose memoratus; ut ex præcedentis progressionis tabella, à radice 50. ad 10. hunc in modum reduceta, licet prospicere.

Anno.	
X.	50. nascerentur masculi.
XL.	250.
LXX.	1250.
C.	6250.
CXXX.	31250.
CLX.	156250.
CXC.	781250.

Hæc enim (ut vides) ratione, egredi ex Ægypto potuissent mares 781250. quorum minimus 25. maximus 34. ætatis annum ageret. Quibus si majores natu, ætatis tamen annum 94. non excedentes, adjicere etiam libeat: postremis tribus summis simul junctis, exurgeret numerus 968750.

Quod si iterum quis hic objecerit; nullo modo esse probabile, à decem illorum Patriarcharum singulis intra proximum à descensu in Ægyptum decennium, similiterque ab eorum posteris, intra unamquamque insequentium annorum triacontadem, quinque filios, patremque filiarum numerum fuisse progenitum: considerandum illi simul erit, quicquid in admisa hypothese reperitur improbabilitatis, id omne ex aliis in eadem omissis, satis superque esse compensatum. Nam & post primum ab intrata Ægypto decennium, patres omnes exacto ætatis anno tricesimo, à liberis procreandis cessavisse supponuntur; quum isto ævo etiam septuagenarii & octogenarii gignere consueverint: & in 10. solummodo Jacobi filius radix Progressionis est fixa; nulla 55. nepotum illius ratione habita, quos catalogus descendendum in Ægyptum à Mose propositus simul exhibet.

Neque in ulla nos Thaddæus Dunus hic conjicit angustias; ex Exod. I. 6. 7. objiciens, post mortem demum Joseph & fratrum ejus, totiusque ætatis illis cœvæ, multiplicationem hanc esse factam. Cum enim ex nostra sententia, inter Josephi obitum & Mosi nativitatem, 64. tantum annorum intervallum intercesserit; in tam brevi spatio, tam immensam populi multitudinem exoriri potuisse, concedendum esse non existimat. Verum in scriptura illa, juxta eorum qui in Ægyptum descenderunt proportionem, Israelitas ante Josephi excessum crevisse, Moses non negat: licet post illud tempus in eum numerum auctos eos fuisse doceat, ut terra impleatur ipsis;

indeque

*Torniell.
ann Mundi
2929-num.
20.

indeque novus Rex de iis duræ servituti subji-
ciendis, ac de infantibus eorum è medio tol-
lendis, consilium cœperit. Nam si in primis il-
lis annis XVII. quibus in regione Goshenis Ja-
cobus vixit, filii & nepotes illius fecerunt
dicantur, & *auti fuisse valde* (Gen. XLVII.
27. 28.) quis, nisi progressionis arithmeticæ
plane ignarus, annis 54. proximis, (quibus pa-
tri Josephus fuit superstes) dubitaverit, eadem
propagationis ratione servata, numerosam
proditæ potuisse sobolem, ut stirps tam copio-
sa, intra annos 64. longe pluribus producendis
sufficeret, quam ad Mosaicæ narrationis veri-
tatem statuendam, foret necessarium: Ita in 12.
descendentium in Ægyptum hypothesi, anno
post descensum 70. (qui proxime antecessit Jo-
sephi obitum) 1250. & post 60. annos (id est,
quadriennio ante ortum Moysi) 31250. mares
proditæ potuissent; quibus additis intermediis
6250. numerus 38750. masculos exhiberet; præ-
ter patrem seminatum numerum, quæ quarto
ante natum Mosem anno, simul cum eis existe-
re potuissent. Juxta alteram vero 50. genera-
tionum hypothesin, ad 163750. numerus ille ma-
sculorum exurgeret; (ex trium numerorum
6250. & 31250. & 156250. additione confectus)
quem, totidem seminatum adjectione auctum,
Ægyptiis non immerito suspectum esse potu-
isse, nemo dubitaverit.

Concludamus igitur tandem, Israelitarum
moram in Ægypto, neque 430. annorum fuisse,
ut Genebrardi & Stapletoni, neque 431. ut
Tichonii, neque 408. ut Thaddæi Duni, &
Nicolai Abrami, neque 240. ut Guliel. Lan-
gii, & Rabbiorum quorundam; neque 239.
ut Henrici Suizeri; neque 225. ut D. Parei; ne-
que 216. ut Jo. Benedicti & Laur. Codomani;
neque 210. ut communior Hebræorum, sed 215.
ut Christianorum Chronologorum fere senten-
tia. Hi 215. anni (Juxta nostras rationes) in
medio anno mundi 2514. juxta Scaligeri & Pe-
tavii, (qui non 130. sed 70. tantum annos inter
natales Tharæ & Abraham constituant) in 2453.
quem pro certo anno Exodi esse habendum,
Scaliger (cum suis alleclis, Setho Calvisio &
Johanne Bohemo) ex characteris quibus-
dam demonstrare conatur; quos tamen nullius
esse momenti, ipse ostendit Peravius; libro 9.
de doctrina Temporum, cap. 23. & 25. cujus-
modi & illi sunt Characteres, quibus Philippus
Lansbergius suadere nititur, annum Mundi
2449. pro vero Exodi anno esse agnoscendum:
quorum incertitudinem ipsa horum utrorum-
que mutua inter se collatio, satis manifestave-
rit. Ex eo enim, quod dies exitus ex Ægypto
fuerit feria hebdomadis quinta, & quod annus
post illum quadragesimus sextus Jubilæus pari-
ter & Sabbaticus fuerit, Scaliger suum; ex eo
vero quod dies ille in septimam feriam incide-
rit, & ipse exitus annus Sabbaticus simul & Ju-
bilæus extiterit, Lansbergius suum Mundi an-
num, pro genuino & certo esse agnoscendum,
confecisse se existimat, quum de neutra illa fe-
ria quidquam ex Scripturis constet: neque ante
Israelitarum in terram promissam ingressum,
annorum Sabbaticorum, atque inde nascen-

tium Jubilæorum, ullam rationem fuisse habi-
tam, ostendi possit, quemadmodum supra in 3.
capite monuimus.

CAP. XII.

*Quarta ætatis mundi spatium annorum
479. fuisse ostenditur. Integritas numero-
rum 480. in lib. Regum & 450. in Actis
Apostolorum integritas, & inter se conso-
nantia, asseritur. Libri Judicum ordo &
dispositio proponitur; annorumque quietis
terræ supputandorum ratio exponitur.
Davidicæ genealogiæ in fine libri Ruth &
tribusque aliis pariter consentientibus
Scripturæ locis explicatæ, perfectio defen-
ditur; posteriorum hominum, etiam ad
nostra usque tempora, non minore quam
horum patrum longævitate demonstrata.*

AD quartam Mundi ætatem jam perven-
tum est: cujus spatium, in prioris regum
libri (qui aliis tertius numeratur) cap. VI. ini-
tium, à Spiritu sancto ita habetur expresse defini-
tum. *Factum est quadringentesimo & octogesimo
anno ingressio filiorum Israel de terra Ægypti,
in anno quarto (mense Zivo, ipse est mensis se-
cundus) regni Salomonis super Israel; ut ædifi-
care inciperet domum Domino.* Quum enim
mensis primi die 15. ex Ægypto egressi fuerunt
Israelitæ, & mensis secundi die 2. (ut II. Chro-
nic. III. 2. legitur) in anno 4. Salomonis, Tem-
pli jacta sint fundamenta; annos 479. & dies
17. intercessisse liquet, non integros annos 480.
quemadmodum in hujus operis cap. III. contra
Joh. Funcium supra est ostensum. Severus ve-
ro Sulpicius, in priore sacræ suæ Historiæ lib.
588. fere annos inter utrumque hunc terminum
interjectos fuisse existimans, non dubitare se
(addit) *librariorum potius negligentia, præser-
tim tot jam seculis intercedentibus, veritatem
fuisse corruptam. quam ut propheta erraverit,
Nostris quoque temporibus, Nicolaus Sera-
rius (in III. Reg. VI. 1.) 680. pro 480. Nico-
laus Raimarus Ursus (in scripto Chronologi-
co Germanicè ann. 1596. edito) & Ludovicus
vero Cappellus (in Chronol. sacr. tabul. 9. 580.
pro 480. in sacrum textum irrepsisse censuit.
Cujusmodi in desperatis Chronologia questionibus,
uti in perditis civitatibus Jeronimus, extremi
esse solent exitus: inquit, in lib. 9. de doctrina
Temporum cap. 32. Dionysius Petavius: cui
merito hac nimis effrenata grassandi in Scriptu-
ram licentia coercenda, & repudianda videtur.*

Melchior Canus, lib. XI. locorum Theolo-
gic. cap. 5. quum primo significasset, se non
existimare, aut fidei aut religionis questionem
esse, num 480. ille annorum numerus, qui in
codicibus pervulgatis reperitur, librariorum vi-
tio scriptus sit, an potius idem ab auctore sacro
in suo exemplari positus, atque sentire se deinde
declarasset, interregnum annos, seorsim à
temporibus Judicum, esse supputandos: postea
subjicit. *Josephus, quoniam non ea solum tem-
pora quibus Iudices præfuerunt, computare voluit,*

61. Chronic.
II. 11. 12.
Mat. I. 5.
Luc. III. 31.

Lansberg.
Chronolog.
sac. lib. 9.
cap.